



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 12. Quale peccatum est loqui, canere, legere, vel audire turpia &
obscœna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

narum, à quibus, & circa quas exercen-
tur; ut malitiam sodomix, si cum simili
sexu exercentur; adulterii, si cum conju-
gata aliena; incestus, si cum cognata, &c.
Nam cum opera circa eas personas diffe-
rant specie: ita etiam actus, qui sunt di-
spositio, & media per se ad illa tendentia:
quare circumstantia agentis & patientis,
exprimi debet in confessione. *Ita San-
chez, Lessius, & alii.* Impudicus verò
sui ipsius actus ad mollitiem pertinet, nisi
aliò referatur ex intentione agentis.

Q. 12. *Quale peccatum est loqui, canere,
legere, vel audire turpia, & ob-
scœna?*

Resp. Est mortale, si fiat extra conjugii-
um ob delectationem veneream, aut cum
probabili periculo illius in se, vel in aliis,
aut cum animo se oblectandi rebus illis.
*Ita S. Antonin. Navar. Sanchez, & alii
commun.* Quia delectatio venerea extra
conjugium est ex objecto mortalis, cum sit
mortale ei consentire. Ergo est mortale in-
tendere, vel procurare illam, aut ejus peri-
culum probabile in se, vel in aliis. Delecta-
tio verò de actu turpi apprehenso est per
se mortalis: ergo à fortiori, & illam verbis
fovere.

Secluso autem omni affectu venereo, &
peri-

periculo delectationis venereæ, ac scandali, turpia loqui, vel canere solum ex levitate, vel legere, aut audire ex mera curiositate est saltem veniale. Nam hæc advertantur castitati, & prohibentur Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. & c. 5. fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis. sicut decet sanctos; aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Tamen juxta S. Antonin. & alios non est mortale, quia non est per se gravis inordinatio. *De hoc nulli dubium est, quod qui dicit verba turpia, & lasciva hac intentione, ut se, vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione, & cogitatione turpium, extra matrimonium mortaliter peccat...* sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium, quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris secundum Thomam per maxime judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: tamen per accidens potest esse mortale ibi, ratione scandali, seu ruinae inde sequentis in mente alicujus, ut cum audientes sunt debiles spiritus, & verba essent multum lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lascivias. ait S. Antonin. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 8.

Sed quia in praxi raro abest periculum

tur-

turpis desiderii, aut complacentiæ, sive in proferente, ac legente, sive in audientibus; sermones, cantiones, vel lectiones rerum turpium, ac lascivarum in vel coram juvenibus, aut aliis infirmis spiritu raro vacant culpa mortali: nam *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* 1. ad Cor. 15. & *præbent verba ad res ipsas ingressum.* ait S. Athanas. hinc obscœna proferens tenetur in confessione exprimere numerum eorum, quibus fuit occasio turpis desiderii, vel delectationis. Qui verò alteri præbet occasionem sermonis turpis continuandi cum aliorum periculo, vel præstat authoritatem verbis turpibus, peccat mortaliter, etiamsi rem narratam interiorius non approbet: nam complacentia, vel approbatio exterior rei mortalis est mortalis. Idem est de gestibus turpibus, ac de turpiloquiis, cum sint etiam signa ad luxuriam incitantia, & de turpibus spectaculis, ac comœdiis. Qui autem libros turpes, & amatorios habent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant.

Q. 13. *An licent oscula, amplexus, tactus, &c. in sponsis, & viduis?*

Resp. I. Omnis delectatio venerea, aspectus, & tactus turpis, seu partium pudendarum, & quivis actus luxuriæ sunt mortales in Viduis, & sponsis. *Ita Sanchez, & alii*